M. ANTONII CHRISTOPHORI CONG. S. PAULLI ... ORATIO IN FUNERE LACTANTII FELICIS...

Marco Antonio Cristofori

Digitized by Google


M. ANTONII CHRISTOPHORI

CONG. S. PAULLI

In Seminario Bononienſi Humaniorum Litterarum Profeſſoris

ORATIO
IN FUNERE
LACTANTII FELICIS SEGÆ

EPISCOPI AMATHUNTINI.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

BONONIÆ, MDCCLVIII.

Ex Typograghia Longhi. *Superiorum auctoritate.*

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

MIrabitur fortaſſe quiſpiam, quid ſit, quod nemine prorſus mandante, nemine omnino impellente, *LACTANTII FELICIS SEGÆ* ex nobiliſſima Bononienſi familia, Pontificis Amathuntini, viri & inſtituto vitæ, & dignitatis ratione graviſſimi, laudationem mea ſponte confecerim, excudendamque curaverim. At quò noſtrum magis animum officia illa declarant, quæ voluntate tribuimus, quam quæ alienis hortationibus, aut imperiis præſtamus; eo profecto magis velim quiſque inde cognoſcat, quanta pietate ejuſdem Pontificis memoriam proſequar. Niſi enim, quantum in me eſt, operam darem, ut talis, & tantus vir, qui tam alieno Reipublicæ tempore eſſe deſiit, vivere tamen quocumque modo pergeret in memoria omnium ætatum, atque omnium hominum, ingratus omnino eſſe mihi viderer, atque præcipuum quoddam Ordinis noſtri ornamentum negligere; quòd ab eo honeſtati maxime fuerimus, qui tueri, dum vixit, res noſtras nunquam deſtitit, qui etiam magno ſibi

uſui, quo nihil eſſe nobis magnificentius poteſt, atque adjumento in re ſacra gerenda noſtrorum hominum labores, conſiliaque fuiſſe dicere ſoleret, illiſque plurimum ſe debere, de quibus tamen eſſet optime meritus. Quo factum eſt, ut laudationem hanc qualemcumque dum ſcriberem, in lucemque ederem, aliquam homini gratiam pro perpetuis ejus in nos meritis referre me penitus judicarem. Nam ad oratiunculam quod attinet, illud dumtaxat dicam, perinde ſcriptam a me fuiſſe, atque ex edito aliquo, ornatiſſimoque loco, atque in maxima hominum frequentia illam habuiſſem. Fit enim plerumque, quod te, Lector, non latet, ut, dum quidvis ejuſmodi ſcribimus, etiamſi ſoli ſimus, multitudinem tamen alloqui nobis videamur. Si quid autem in ea offendes, non ſatis pro rerum dignitate dictum, tu id, ut magis libet, aut Antiſtitis Optimi virtutum, rerumque geſtarum magnitudini, aut ingenii imbecillitati mei tribue, nunquam tamen voluntati. Vale.

IN

Digitized by Google

73

IN FUNERE
LACTANTII FELICIS SEGÆ
EPISCOPI AMATHUNTINI

ORATIO.

NEc dum relevatis pauliſper ægritudine illa, moleſtiaque animis, Auditores, quam Benedicti XIV. Pontificis Maximi nupera mors præcipuam nobis, atque incredibilem attulit; nova ſubito mœroris cauſa ex Lactantii Felicis Segæ, optimi, ampliſſimique Viri, Antiſtitis Amathuntini recenti interitu oborta bonis omnibus

Digitized by Google

eſt ; ut cum communi omnium noſtrum dolori conſulendum, atque a re quavis triſti, lugubrique mens quam longiſſime abducenda eſſet, acerbitatem augere oratione, vulnuſque refricare coacti eſſe videamur. Atque ego quidem, Auditores, procellam nobis aliquam, luctuoſumque caſum jam adeſſe, atque impendere putarem, qui tam exiguo tempore duobus Civibus divino ingenio, admirabili doctrina, ſingulari prudentia, incredibili pietate, ac religione præditis orbati ſimus, quorum res geſtæ omnium noſtrum ſalutem, ac tranquillitatem æque fere complexæ eſſent; niſi intelligerem, ejuſmodi Viros cœleſtem in Patriam a ſummo Deo revocatos longe illinc plus auxilii nobis, atque opis, quam antea dum in terris morarentur, afferre: ita ut non modo non debilitata eorum obitu, aut imminuta noſtræ ſalutis, ac tranquillitatis præſidia, ſed etiam confirmata eſſe, atque aucta, confidere debeamus. Cum vero ita ſe res habeat, ut quemadmodum ipſi, prout ſperare licet, beatiſſimi ſunt, ita & nos, reſque noſtras ſtudioſius tueantur, quid eſt, Auditores, cur diutius doleamus? quin eos potius dies, cum e vita illi ceſſerunt, inter eos percenſemus, quos nobis fauſtiſſimos eluxiſſe judicamus? Equidem, cum eorum felicitatem, noſtramque conſidero, non queo ſatis dicere, quantum inde erigar, atque

que

Digitized by Google

quæ conſoler, unde mihi veluti doloris cumulus acceſſiſſe videbatur. Quid enim, aut illos beatiſſimos jam eſſe, aut patronorum numerum, qui a Deo Optimo Maximo noſtra cauſa impetrent, auctum eſſe doleam? Ita eſt, Auditores, ponendus ægritudini modus, atque a lacrymis temperandum jam eſt: nam & præclare cum Pontificibus utriſque optimis actum eſt, & ſalus, tranquillitaſque noſtra confirmata quodammodo eſſe, nedum infirmata videtur. Nam ſi quis id forte dolet, quod eorum intueri vultus, voceſque audire, & monita jam accipere nobis non liceat; is ſi illud cogitabit, nos ita eſſe a natura comparatos, ut qui Cœlo jam recepti ſunt, longe majorem in exemplis habere atque in documentis auctoritatem videantur, quam viventes; æquo profecto animo, ac pacato amborum deſiderium ſuſtinebit: quin gaudebit etiam, mea ſententia, id eſſe utroſque aſſecutos, ut quivis eos libentius ſuſpicere in poſterum debeat, eorumque res geſtas ſtudioſius cognoſcere, ex quibus omnium virtutum exempla vel ad aliorum inſtitutionem, atque memoriam, vel ad uſum ſui abunde ſe capere poſſe intelligat. Utinam vero, Auditores, ingenio ego, arteque, ac ſtudio dicendi tantum valerem, ut meæ erga illos voluntati, ſeu potius obſervantiæ, pietati, ac cultui ſatisfacere poſſem! ſpe-

 ra-

Digitized by Google

tarem profecto, id me jam in eorum altero aſſecutum eſſe, in altero verò mox præſtiturum, ut non omnino impar illorum laudibus recenſendis exiſtimarer; noſtraque etiam induſtria fore confiderem, ut quæ illi æternitate digna geſſerunt, ad poſteros pervenirent. At quicumque ſim, ſin minus obeundi fiducia ſuſceptum munus, quod aſſequi ne eloquentiſſimus quidem quiſquam poſſet, aut ſpe perveniendi, quo optarem; at voluntate profecto quantum poſſem progrediendi; quod de BENEDICTO Pontifice Maximo egimus, ut ejus geſtis rebus commemorandis perpetuam illius felicitatem, quantum homines poſſumus, contemplaremur, quæque inde nobis commoda venirent, non obſcure intelligeremus; idem de LACTANTIO FELICE SEGA Pontifice Amathuntino præſtandum nobis in preſentia conſtituimus: ut ſi qua adhuc ægritudine quis oppreſſus ſit, ab ea omnino levetur, ac Deo immortali potius maximas agat gratias, quod homini ſanctiſſimo præmia pro virtutibus tribuerit; ſibique gaudeat, quod in poſterum beatiorem ſe fore ſperare poſſit.

Atque ut de tanto homine verba facturus certos orationi terminos conſtituam, neque committam, ut ea latius, quam par eſt, vagari videatur; prætermiſſis ego omnibus, quæ vere alicujus propria dici non poſſunt, pietate il-

Digitized by Google

illum, atque prudentia inſignem fuiſſe, quantum in me eſt, continuo demonſtrabo. Nam qui in luce, oculiſque civium magni fuerunt, eos ſi a Majorum imaginibus, ornamentiſque commendaveris, tempus abſumere te dicendo, optimus quiſque judicabit: quod hæc perſequi tum maxime ſoleant Oratores, ſi quem interdum laudare coacti ſint, qui nulla ſua virtute, nulliſque rebus geſtis præſtans fuiſſe intelligatur. Itaque ut nihil dicam, quantum ejus Majorum nomen, quantæ opes, quanta in legationibus obeundis, atque in gerendis magiſtratibus gloria fuerit, qui pro perpetuis eorum in Chriſtianam Rempublicam meritis, ampliſſimis ſæpe honoribus a Pontificibus Maximis ornati fuerunt; quique non modo Patriæ, quod eſt ipſum per ſe magnificentiſſimum, ſed graviſſimo etiam, omniumque ſanctiſſimo Cardinalium ordini, minorumque Pontificum ornatiſſimo cœtui multum olim luminis attulerunt; illud ego quantum potero voce contendam, ut hoc frequentia hæc tanta omnis exaudiat, LACTANTIUM FELICEM, etiamſi nulla Majorum nobilitate floruiſſet, novuſque omnino homo fuiſſet, facile per ſe, nobilitateque propria ſua quamvis familiam, abjectam etiam, atque obſcuram, e tenebris in lucem evocare potuiſſe, ſi ex ſuperioribus ſui generis, neque poſtremus extitiſſet. Nam ne

quid

Digitized by Google

quid ab eo, quod mihi ſemel propoſui, orationis argumento aberrem, an eſſe ullam uſquam familiam putem, quæ ſi unam LACTANTII FELICIS imaginem præ ſe ferre, tantaque pietate ornatum Pontificem nominare poſſet, non ſibi nobiliſſima eſſe videretur? Neque eſt, quod hoc tempore de ejus pueritia, aut de adoleſcentia, ſub optimorum hominum, ac ſapientiſſimorum diſciplina acta, quidquam a me expectetis. Ut enim cum agrum fœcundum videmus, etiamſi ut cultus ſit neſcimus, neque agricolæ laborem conſpicimus, ex ipſo tamen fructu bene cultum judicamus; ita profecto cum maximarum virtutum proventum, qui vere animi fructus eſt, viderimus, bene cultum animum exiſtimare debemus. Vos ego ſtatim, religioſiſſimi Homines, qui Philippum Nerium ſanctiſſimum Virum in Patris loco colitis, a quo etiam nomen accipitis, quoſque adire Antiſtes Amathuntinus quotidie conſueverat, vos, inquam, appello; quiſquam ne fuit unquam veſtris illis in Conventibus, in quibus divina meditari animo, certaſque ſubinde preces fundere, & pacem iis, qui deceſſerunt, precari ſoletis, qui vos perinde, atque idem Pontifex in admirationem traxerit ſui? Quemquam ne ex tot, qui illuc conveniunt, probatiſſimis, integerrimiſque viris, nominare poteſtis, qui tantam in Deum pieta-

 tem

tem præ ſe tulerit, tantuſque in cœleſtibus contemplandis rebus fuerit, ut Antiſtitem optimum non modo ſuperare, ſed etiam æquare videretur? Id autem ego cum dico, maximum profecto eximiæ cujuſdam pietatis argumentum, indiciumque proferre me, nemo unus diffitebitur, ſi perinde id auditu intelligatur, atque ego ipſe cogitans ſentio. Nam inter optimos, ſanctiſſimæque diſciplinæ ſeveriſſimos cuſtodes principem ferri, atque eſſe, id quidem tantum eſt, ut vix quidquam amplius habere poſſe videatur. Neque id ſane mirum videri debet, viros illos optimos, lectiſſimoſque tantopere Amathuntinum Pontificem ſuſpexiſſe, ut vel ſuis anteferrent, quos religione, ac pietate exemplaria fuiſſe, ne ipſi quidem, quamquam modeſtiſſimi ſunt, inficiari potuerunt, qui propterea illorum res geſtas, cum jam e vita migraverint, vel litteris mandarunt jam, vel mandare propediem meditantur. Quamquam enim ſingularis cujuſdam, neque uſitatæ pietatis ſit, ſummo loco natos homines, magnoque animo præditos, ætate etiam affectos vel ſacris in rebus adoleſcentulis ſe copulare (id quod illis in Cœtibus lege, atque inſtituto fit, maximo cum ipſorum adoleſcentum progreſſu); tamen ſi id vitæ genus amplexus ſis, ut totus in eo eſſe debeas, conditio ipſa, atque uſus tibi quidquid

in eo moleſtiæ eſt adimere, aut leve quidem certe efficere videtur. At qui & genere ſit, & auctoritate ſummus, & cum ſapientiſſimis hominibus, ſibique quam ſimillimis verſari ſolitus; cum ita Conventibus illis intereſſe, ut non modo aſſiduus eſſe, ſed etiam munera, quæ per dignitatem liceat, obire velit, delataque ſibi illorum Præfectura ſtudioſe, libenterque perfungi videatur; quis id tandem non maximæ cujuſdam pietatis eſſe judicet? Atque hæc quidem cum laudo, vos ego, religioſiſſimi Patres, laudo, qui ita moderari Congregationes illas veſtras noſtis, ut, cum ſenum auctoritas adoleſcentiam in officio contineat, adoleſcentum vero ingenuitas quædam, liberaliſque ſimplicitas ſenectutem ipſam allicere quodammodo, atque ad probitatem excitare videatur; tum nemo tantus ſit, nemo tantillus, qui non ſibi locum illic eſſe putet, ubi tam diverſarum ætatum conjunctio egregia opera veſtra ad pietatem, religionemque fovendam mirabiliter conſpirare intelligat. Laudo illud etiam, quod pro eximiis veſtris ſtudiis, ſingularique in eos voluntate, qui veſtra illa inſtitutione animum excolunt, ſi quem interdum invenitis probitate, innocentia, religione, aut ullo virtutis genere præſtantiorem, illius ita exemplum imitandum aliis proponitis, ut ſi vobiſcum ipſe viveret, in

ve-

Digitized by Google

veſtramque Familiam adſcitus eſſet, neque ſtudioſius facere, neque libentius poſſetis. Ac ne quid ab inſtituto ſuo recedat oratio, quot egomet, ac quanta, Auditores, ab illis de Amathuntino Pontifice audivi? Quam crebris uſurpare ſermonibus cum alia multa, tum illud in primis ſolent, ſe admirari ſatis non poſſe Antiſtitis optimi pietatem, ac religionem, quoties recordantur, quo inceſſu, qua dignitate, qua oris modeſtia, quo denique corporis habitu incederet, quibus etiam votis Deum Optimum Maximum placatum efficere ſtuderet, poſtremo quantum ipſimet, quantum multitudo reliqua, ad preces fundendas, ipſumque ſupremum Numen colendum, ac venerandum ejus exemplo incenderentur, cum nullo fere comitatu aulicorum, ſupplicationibus privatus intereſſet, quæ more, inſtitutoque Majorum per fora, viaſque Civitatis ab illis fiunt, avocandi ergo a ludis, ſpectaculiſque plebem, cum ad crimina procliviores per bacchanalia tempora quamplurimos paſſim, neque ſine incredibili quodam bonorum dolore, eſſe videmus? Illud etiam, quod ab ipſiſmet cognovi, quantæ fuiſſe integritatis putamus, hominem aſſidue fere cœleſtia meditantem, cuique perpetuo Dei verſaretur ante oculos majeſtas, ut ad eum cogitationes omnes, conſiliaque ſua, ac facta nullo

non

Digitized by Google

non tempore referret; denique qui nunquam tot eſſet, tantiſque negotiis diſtrictus, nunquam tam longis itineribus impeditus, quin quotidie ſacrificaret; quantæ, inquam, integritatis fuiſſe putamus, ejuſmodi hominem adeo diligenter, num aliqua in re forte deliquiſſet, expendere ſolitum fuiſſe, ut alternis diebus ad illius ſe pedes, quem ſibi a Confeſſionibus delegerat, abjiceret, eique rationem redderet ſui perinde, atque illo ipſo temporis articulo ex hac ſibi vita migrandum eſſe intelligeret? Qui enim ita comparatus eſt ſemper, ut Deo judici reddendam ſibi in dies ſingulos ſuæ vitæ rationem cogitet, quam recte omnia, ac quam ſancte agat neceſſe eſt! Quanta eumdem innocentia, quanta fide, quanta religione, quanta integritate præditum eſſe exiſtimare debemus! Cum vero templa privatus adiret quotidie, in quibus more, inſtitutoque Majorum publice, neque ſine pompa ſolemni, Euchariſtia adoratur, quis noſtrum ad pietatem, religionemque non inde etiam maxime incendebatur, quod ejus ſingularem modeſtiam, animique fervorem, cum incredibili quadam demiſſione conjunctum intueretur? Quis non ſe ipſum attentiorem fieri expertus eſt, cum ejuſdem oculos, vultumque videret, verba excipientis, quæ e ſuggeſtu ab Oratore divinis de rebus haberentur? Quis non

vete-

Digitized by Google

vetera illa ſanctitatis exempla Ambroſium, aut Petronium ſanctiſſimos Pontifices intueri ſibi, atque admirari viſus eſt, cum Amathuntinum Antiſtitem, infula, ſtolaque ornatum, divinam rem peragentem, aut Templa dedicantem, aut ſacris Ordinibus initiantem, aut cætera ampliſſimi Sacerdotii munera obeuntem videret? Sed nullum haberet exitum oratio, ſi quæcumque a LACTANTIO FELICE pie, religioſeque acta ſunt, perſequi liberet. Itaque ut omittam quantæ ſanctitatis fuerit, tunc etiam meritam Deo immortali gratiam modulandis cymbalo Davidis pſalmis, & memori mente perſolvere, cum relaxare animum, & dare ſe jucunditati neceſſe haberet; cujus tam ſeveræ diſciplinæ, eos, qui familiæ ſuæ nomine continerentur, ſui quam ſimillimos perpetuo præſtitiſſe, ut de Domini gratia quivis recte vivendi ratione, & officiorum diligentia certaret; cujus tantæ in pauperes liberalitatis, omnibus, qui ad eum confugerent, aliqua difficultate preſſis, ac laborantibus, ſine ulla cunctatione ſubvenire, doteſque ſæpe nubilibus puellis conficere, quæ in matrimonium jungi cum dignitate, niſi quid alienæ opis acceſſiſſet, non poſſent, ut pauperes ipſi hiſce nominibus demortuo parentaverint: ut hæc omittam, cujus tantæ munificentiæ fuit, multa paſſim Templa ampliſſimis muneribus afficere, quibus ad res

Di-

Digitized by Google

Divinas cum dignitate faciundas uterentur? Quantam, Deus immortalis, religionem; quantam patientiam, quantam etiam conſtantiam extremum ægrotans præ ſe tulit! Nam cum nactus eſſet morbum, homo perpetua valetudinis proſperitate uſus, ex quo dolores caperet maximos, ſæpe etiam febres accedere ſentiret, neque ſine incredibili quadam moleſtia curationem adhiberet, cernere erat, Auditores, quanta conſtantia vocis, atque vultus ægrotationem illam tantam perferret; ut hac ſæpe oratione non ſolum ſe ipſum confirmaret, ſed amicos etiam, familiares, ac propinquos, ut bono eſſe animo vellent, hortaretur: Quin libenter hæc feram, qui sciam nihil ad eos, quos mortalium ergo Christus pertulit, dolores, cruciatusque nostros esse? Mihi quidem tanti est, ægro corpore esse, qui aliqua illi ratione similis esse hac saltem in re mihi videar. Interdum vero illud etiam addebat: Nonne eadem utitur curatione Benedictus ipse decimus quartus Pontifex Maximus? Quid ego ægre feram ea perpeti, quibus tantus ille vir obnoxius est? Quo fiebat, ut qui aderant, eamdem animi conſtantiam, cum decedendum erit, ſibimetipſis optarent, potius quam, quo pacto illum ſolarentur, cogitarent. At non in perferendis doloribus ſolum,

ſed

Digitized by Google

ſed cæteris etiam in rebus, quæ ſumma hominem virtute præditum decent, ipſum Benedictum Pontificem Maximum ſibi imitandum propoſuit. Cui enim noſtrum non eſt auditum, qua religione Euchariſtiam infirma etiam valetudine coluerit Benedictus, qui lectulo aſſidens ſæpe Sacrum peregerit, eamque ſibi poteſtatem eſſe, multis confirmaverit ex tota antiquitate depromptis monumentis, quæ ab eo certa in oratione collecta nunquam interitura videntur? At Epiſcopus etiam Amathuntinus quanta in idem Chriſti ſanctiſſimum Corpus fide, ac religione fuit, qui cum morbo, in quo ſex menſes conſumpſit, pene confectus, Templa, ut conſueverat, adire non poſſet, in Sacello, quod prope cubiculum erectum habebat, ita ut ex lectulo Altare intueri poſſet, Sacrum quotidie fieri, ſæpe etiam cœleſtem panem a Sacerdote ſibi porrigi curavit? Si quando vero morbus levior eſſet, ad aras ipſemet facturus accedebat; ac quidquid a ſanctiſſimo homine, qui ſibi inſtare mortem intelligat, agi ſolet, ut conjungi Deo decedens poſſit, totum ipſe mirum in modum præſtitit. Itaque deceſſit, ut in ſpe maxima, eademque veriſſima fuerint omnes, advolaſſe illuc, ubi beatus ævo ſempiterno fruatur. Quod ſi in innocentia, in integritate, in ſanctiſſima diſciplina, in ſublevanda facultatibus

Digitized by Google

ſuis egeſtate, in templis ornandis, in religione, in fide, ſitam in primis nobilitatem eſſe, non ignoramus, ut qui in eo præſtiterit, facile anteponatur iis, qui in maximis ſunt opibus, aut domi, militiæve primas tenere potuerunt; cui tandem dubium eſſe poſſit, LACTANTIUM FELICEM SLGAM, qui ad ſummam virtutis perfectionem perveniſſe viſus eſt, ut & in terra adhuc poſitus, verſari in Cęlo, & cum hic nobiſcum viveret, jam tamen civis eſſe Sanctorum, & domeſticus Dei videretur; cui, inquam, dubium eſſe poſſit, tanta pietate ornatum hominem, etiamſi nullis eſſet Majoribus illuſtris, tamen nobiliſſimum per ſe extitiſſe, ejuſque imaginem tam eſſe inſignem, ut vel una ſatis eſſe debeat, ut in luce quævis familia eſſe dicatur, etiamſi nulla habeat ornamenta alia, quæ oſtendat?

Age vero de Pontificis Amathuntini prudentia pauca, ut cætera, dicamus. Qua quidem in re non uſitata nobis oratione utendum eſt, ut quæ ipſe ſapienter excogitaverit, perſequamur: ſed nova quædam ineunda eſt via, novoque laudationis genere utendum, ne quæ potiſſima in illo fuerunt, aut ignoraviſſe nos, aut temere neglexiſſe videamur. Itaque illud ego affirmo, incredibilem LACTANTII FELICIS SEGÆ prudentiam in eo maxime ſitam fuiſſe, quod cum alta

alta quadam mente prædítus, atque in ampliſſimo dignitatis gradu, ut alienas vices gereret, locatus eſſet, nihil tamen egerit unquam, aut ab aliis fieri commiſerit, quod ad ſuum eſſet ingenium, aut non ab eo juſſum, a quo illa ſibi procuratio demandata fuiſſet. Te ego hoc loco iterum, Benedicte Pater ſanctiſſime, cujus nos adhuc deſiderium tenet, ac de quo prædicare, niſi vita functi nunquam deſiſtemus, ne aut ingrati eſſe, aut ſtulti maximarum rerum æſtimatores videamur; te, inquam, Benedicte Pater ſanctiſſime, iterum appello; quanti tu Lactantium Felicem Segam feciſti? quanta is apud te vel auctoritate, vel exiſtimatione fuit? quantopere ejus tum facta, tum dicta omnia probaviſti? Nam cum in eam ſemper cogitationem incumberes, ut non modo quos bonis moribus præditos, ſed quos virtutibus plurimis, quos doctrina, ſapientiaque ornatos videres, Sacerdotia ad illos, honores, dignitateſque conferres, omnemque religionis, juriſque Pontificii, cæremoniarumque noſtrarum majeſtatem in illis reponeres; quantam tibi de Lactantio Felice Sega opinionem fuiſſe exiſtimemus, qui, cum ſacrarum rerum ſummam tibi apud nos retinendam conſtituiſſes, illum delegiſti, qui tuas vices gereret, noſque, quos unice amares, beatiſſimoſque eſſe vehementer velles, præſens pro

te abſente moderaretur, omnibuſque Epiſcopi officiis, quorum momenta dies, noctesque diligentiſſime perpendebas, tuo nomine ſatisfaceret? Neque hac quidem in re prætereundum illud eſt, Auditores, tantopere ipſius Benedicti interfuiſſe, ut Lactantius Sega procurationem illam ſanctiſſimam, graviſſimamque acciperet, ut, quo id facilius ab homine modeſtiſſimo impetrare poſſet, (ſua enim illum ſponte alienum ab ejuſmodi ſplendore eſſe jam pridem cognoverat) cum Cardinalis acceptis a Clemente XII. Pontifice Maximo de Lucenſi Eccleſia mandatis, ut quem tanto Sacerdotio idoneum judicaret, id ei ſuo nomine offerret, nullo modo ad ſuſcipiendum adducere potuit) ut, inquam, ad Carolum Mariam Gabriellium clariſſimum hominem, ſpectatiſſimæque virtutis ex D. Philippi Nerii laudatiſſima Familia, cui ipſum Lactantium plurimum tribuere cognoverat, litteras ea de re dederit, mandaveritque, ut vel hortando, vel rogando, vel monendo, vel plane etiam præcipiendo id ab eo impetraret, qui eo dignior tanta dignitate eſſet, quo magis abeſſe ab illius animo omnis ejuſmodi cupiditas ſemper viſa eſſet; quo etiam minus ſe parem tantæ provinciæ obeundæ putaret. Itaque Gabriellius fecit, recuſantemque non prius inducere potuit, ut Pontifici Maximo obtemperaret, quam

illud

Digitized by Google

illud apertiſſime dixit, caveret, nempe, ne Dei immortalis voluntati ſibi per BENEDICTUM XIV. cujus majeſtatem ſemper veritus eſſet, declaratæ obſiſteret. Itaque re impetrata, non queo dicere, Auditores, quam vehementer ipſe BENEDICTUS gaviſus ſit. Diem ille ejus nuncii inter optatiſſimos ſibi, fauſtiſſimoſque notavit, cum Cardinalis, cum Bononienſis Archiepiſcopus renunciatus eſt, cum Pontifex Maximus ſolemni pompa, magnoque comitatu equo inſidens ad Lateranenſe Templum primum ſe contulit, cumque Principibus ſedere, & ſolium gloriæ tenere divinitus juſſus eſt: id quod ipſemet eidem SEGÆ Epiſcopo jam deſignato per litteras (1) teſtatus eſt. In epiſtola vero ad Petrum Fabam Nobiliſſimum hominem, LACTANTII FELICIS Levirum, miſſa, idem rurſus non obſcure indicavit, in qua illud in primis erat ſcriptum, ſe opinione omnium majorem voluptatem animo cepiſſe, quod ſibi in Epiſcopatu ſuſcipiendo, atque in gerenda ſua vice SEGA obſecutus fuiſſet, quem probatiſſimum omnium, ac ſpectatiſſimum haberet. Cum vero ſuam de illo ſpem, expectationemque expletam re, victamque etiam interdum videret, quanto ſibi magis in eo delectu placuiſſe, ac quam vehementius ſe ipſum amaviſſe Pontificem Maximum arbitramur? Recognoſcite, per Deum immortalem, reminiſcendo, Auditores, ejus judi-

cia de Amathuntino Antiſtite tam multa, tamque honorifica, quæ cum publicis litteris, monumentiſque conſignata ſint, tum non modo in præſentia propter recentem memoriam rerum geſtarum, ſed in omnem etiam poſteritatem nota eſſe oportet, nullamque habere unquam dubitationem propter ſummam hominis auctoritatem poſſe videntur. Quoties ille, ac quam exquiſitis verbis Lactantii Felicis Segæ prudentiam incredibili cum integritate, fide, virtuteque conjunctam in ea dignitate ſuſtinenda laudavit? Quoties illud, ac quanta voluptate teſtatus eſt, non poſſe magis ex animi ſui ſententia rem Bononienſem ſacram, aut commodius, ſi ipſe adeſſet, adminiſtrari? Præſens ſibi eſſe videri, atque animadvertere ipſemet opportunitates idoneorum ad agendum temporum, & quæ vera, & recta ſint coram videre, libereque eadem proferre, atque ad obtinendum auctoritatem adhibere? Gratias ſe etiam atque etiam maximas Deo immortali agere, quod ejus numine talem nactus ſit, quem pro ſe abſente Bononiæ in re ſacra ſubſtitueret, qui quæcumque mandarentur diligentiſſime exequenda curaret; qui in ſententia, ubi uſus eſſet, dicenda, aut in iis, quę præſcripta eſſent, præcipiendis, nihil unquam aut metui, aut gratiæ daret; qui nunquam commendatione ulla, aut ullo officio flecti poſſet,

quin

Digitized by Google

quin eadem ſanctiſſime repoſceret; qui nunquam ad cujuſquam voluntatem orationem ſuam temere accommodaret; qui nunquam quidquam æquitate, ac veritate prius, aut antiquius haberet; qui denique omnia officiorum momenta, quæ Pontificis maxime propria ſunt, diligentiſſime perpenderet, iiſque ita ſatisfaceret, ut quid in eo præterea deſideraret, ne in mentem quidem venire poſſe videretur. Quæ cum ita ſint, Auditores, quis ex hac tanta hominis poſt hominum memoriam maximi, ac ſapientiſſimi approbatione non facile intelligat, nihil ab Amathuntino Pontifice in ea procuratione, ac gubernatione unquam eſſe profectum, quod non omnibus ſuis numeris, & partibus expletum eſſet, atque perfectum? Cum autem præcipuum ejus in graviſſima illa, ſanctiſſimaque adminiſtratione officium eſset, omnia, quæ a Maximo Illo recepiſſet, mandata diligenter, religioſeque curare, atque exequi, cujus tantæ ſapientiæ, fidei, ac religionis fuit, id muneris decem amplius annos ita obire, ut ne tranſverſum quidem unguem, ut ajunt, ab iis recederet, quæ Benedictus Pontifex Maximus præſcripſiſſet; & ſi quid interdum accideret, quod ipſe optimum factu judicaret, neque de eo mandata haberet, cujus tantæ religionis, ac diligentiæ fuit, ſedulo ſemper Patrem Sanctiſ-

Digitized by Google

ctiſſimum certiorem facere, ut cum illud ageret, aut fieri curaret, imperata facere, neque ejus ipſe rei auctor eſſe videretur? Tanti ego id quidem facio, Auditores, quanto difficilius eſſe intelligo, adeo quemquam ſe ipſum cohibere, ut nullam ſibi eſſe rerum gerendarum poteſtatem velit, cum propter demandatam ampliſſimam provinciam maxime habeat; neque impune ſolum, ſed etiam cum laude, ac jure quodam ſuo vendicare illud ſibi interdum poſſit, præſertim ſi e re nata ejus ſe voluntatis interpretem profiteri poſſit, quo auctore gerat, ac principe magiſtratum. Quid? An eſt quiſquam, qui non in ſemetipſo ſentiat, longe unumquemque magis ad imperandum, quam ad parendum, eſſe ſua ſponte comparatum? Nonne cum primum in eo eſſe gradu contingat, ut aliquo pacto ad tuum agere arbitrium poſſis, aut poſſe te arbitreris, nonne, inquam, quæ tibi licere exiſtimas, ea continuo exequeris, aut fieri ad tuam voluntatem curas? Quæ profecto res cum magnam in omnibus vim habet, tum in illis in primis poteſt, qui magno ſunt animo, multaque doctrina præditi; quippe qui cuncta ſe proſpicere, neque aliena ope indigere putant, ut, quæ recta ſint, cognoſcant, quæque ipſi invenerint, rectius fieri, quam ab aliis, quæ cogitata ſint, aut præcepta, ſibi faci-

Digitized by Google

facile perſuadent. Atque hoc quidem loco quam late vagari poſſet oratio, ſi multiplicem Amathuntini Pontificis eruditionem perſequi liberet? quam facile ſuadere poſſem, omnia illum jura, omnes mores, omnemque hiſtoriam, præſertim divinam, atque eccleſiaſticam percalluiſſe, nullamque rem eſſe ad ſanctiſſimam morum diſciplinam, in quo potiſſimum Epiſcopis elaborandum eſt, retinendam, amplificandam, aſſerendam etiam, ſi opus ſit, neceſſariam, quæ ejus ſcientiam fugerit. Equidem ſi apud alios orationem haberem, qui hominem minime noſsent, hac diu in re immorarer, ut dignam tanto homine opinionem animo imbiberent, neque meam fidem, ſtudiumque olim deſiderarent, meque graviſſimis verbis reprehenderent, ſi quibus de rebus a me doceri debuiſſent, eas aliquando ab aliis cognoviſſent. Cum vero apud vos dicam, quibus perinde, atque mihi Amathuntinus Pontifex cognitus fuit, nihil ſane opus eſt, pluribus id verbis exponere: quin haud ſcio, an etiam tutius ejuſmodi orationem integram omittam, ne cum multa dixerim, plurima adhuc tamen requiſituri ſitis a me prætermiſſa, quæ animo habuiſſe illum cognita teneatis. Itaque in tanta re, ac tam multiplici illud ego dumtaxat attingam, cum Pontifice Amathuntino orbati ſumus, Theologorum Collegium illud ſpectatiſſimum,

mum, ac nobiliſſimum, maximo ornamento ſuo orbatum ſe exiſtimaviſſe, ejuſque acerbum caſum ita moleſte tuliſſe, ut quod vix ſperet, tantam ſe aliquando compenſaturum eſſe jacturam. Jam vero eam ſapientiam, quæ in rebus gerendis, & in deſpiciendis ratione ſtabili, ac firma iis, qui pleriſque expetendi videntur, honoribus, atque imperiis, ſita eſt, & in qua animi magnitudo maxime cernitur, quantam in eodem fuiſſe putamus, qui cum oblatos aliquando non accepiſſet magiſtratus, ad rempublicam tamen, & ad populi utilitatem ſe accommodavit; cum vero altiſſimum dignitatis gradum, ut Pontifici Maximo obtemperaret, obtinuiſſet, invictum quidem ſe a laboribus præbuit, at omnem omnino cavit gloriæ cupiditatem? Quæſo hoc loco, Auditores, redite in memoriam earum rerum, quas paullo ante dixi de Lactantii Pontificatu; inprimis autem præclariſſima recolite Benedicti xiv. de eodem homine judicia; & ſi quæ ſunt alia a nobis imbecillitate quadam mentis, neque voluntate prætermiſſa, ea vos nunc univerſa colligite, grataque animi, & jucunda recordatione expendite, quibus propter clariſſimam, in qua verſabatur, lucem, nullum obſcurum potuit nec dictum ejus eſſe, nec factum. Nam quin eadem iterum dicam, aut quæ omiſerim potiſſima exquiram, voſque diutius, quam par

eſt,

Digitized by Google

eſt, morer; facile profecto, ea cogitantes, a vobiſmetipſis intelligetis, nihil illo homine actuoſius, nihil diligentius, nihil etiam a laude alienius, nihil ſummiſſius, nihil uſque ad extremum ſpiritum humilius extitiſſe. Cum vero & honoris cauſa, quod ejus virtutem ſuſpicerent, dignumque fortuna quam ampliſſima putarent; & quod ei fidem haberent, & bene ſaluti, libertati, aris, domiciliiſque eorum ſe conſulturos eſſe arbitrarentur, qui Epiſcopo orbati eſſent, ſi Lactantium Felicem illis præficerent ſacrorum Antiſtitem; cum, inquam, Lucenſi Sacerdotio (quemadmodum paullo ante diximus) Clemens xii., Ariminenſi Benedictus xiv. Pontifices Maximi augere hominem, atque honeſtare vellent; is utrumque ita recuſavit, ut cum eam poteſtatem aliis, laudemque concederet, ipſe non ſolum ad otium non perfugeret, ſed etiam res gereret maxime utiles Reipublicæ, plenaſque laborum. Nam acceptum multo ante Pœnitentiarii operoſum, ſanctiſſimumque munus, etiam poſt rejectum conſtantiſſime Lucenſe nobiliſſimum Sacerdotium, atque opulentiſſimum, quo pacto Canonicus in principe hujus Urbis Templo obtinuerit uſque dum Præpoſitus renunciatus fuit, vidiſtis Auditores. Ariminenſem autem Eccleſiam cum renuiſſet adminiſtrare (neque enim cogendum hominem putavit Pontifex Maximus, (2) qui ſuis

in

in illum ſtudiis ſatis eſſe factum duxit, quod, & quanta caritate eumdem complecteretur, & quanta de eo ſua eſſet exiſtimatio, compertum ea re feciſſet), quem latet neglexiſſe illum quidem laudem, atque imperium, maximum tamen Pontificiæ dignitatis onus ſemel ſuſceptum minime depoſuiſſe? Qua in re non queo ſatis dicere, quanto ejus mihi virtus admirabilior etiam, quam antea, viſa ſit. Quis enim, niſi perquam demiſſe de ſe ſentiens, quique nunquam imperare aliis in tota vita conſtituiſſet, ac quantum in ſe eſt, obſcurus eſſe mallet, quam in luce, & in oculis civium vivere; quis denique, niſi Amathuntis Epiſcopi quamſimillimus, inauditaque ſeptus virtute, tanto Sacerdotio oblato, non ſe occaſionem nactum eſſe putaviſſet experiundi, quantum conſilio valeret, quantaque haberet a natura adjumenta rerum gerendarum, ut illa etiam, quæ ante alienas vices gerens feciſſet, ad ſuam aliquam laudem redundarent, neque a Principe illo dumtaxat profecta viderentur? O nunquam fere ante hoc tempus auditam ſapientiæ rationem! o ſingularem in viro ampliſſimo animi demiſſionem, planeque dignam, de qua nulla unquam ætas conticeſcat, quamque ſibi illi proponant imitandam maxime, qui Reipublicæ adminiſtrandæ præpoſiti ſunt! Quis enim, ſi ad tantum exemplar accedat, non

& ſe-

Digitized by Google

& feratur, & habeatur nobiliſſimus, etiamſi nulla ſit Majorum commendatione illuſtris? Quam idem nihil temere, nihil perperam agat neceſſe eſt! Quam maxime opus eſt, ut diligentia, fide, conſtantia omnium ſibi obſervantiam, cultum, atque exiſtimationem conciliet! Quod qui conſequi potuit, ille demum in luce vivere, ac nobiliſſimus eſſe jure, ac merito exiſtimatur.

Sed multo illa quidem præſtantior nobilitas eſt, quam a Deo Optimo Maximo cœleſtem in Patriam reſtitutus LACTANTIUS FELIX conſecutus eſt. Quam enim excelſum, quam illuſtrem, ac clarum locum teneat ille inter beatiſſimos Pontifices oportet, qui ſempiterno illic ævo fruuntur! Si enim nihil eſt immortali Deo, quod quidem in Chriſtianæ Reipublicæ Rectoribus, & Conſervatoribus ſit acceptius, quam Religio, atque Sapientia, ſine quibus munus ab ipſomet Supremo Numine illis aſſignatum explere non poſſunt; qui utraque in re adeo excelluit, ut cum illis merito comparandus videatur Pontificibus, qui Patrum, Majorumque memoria ſapientiſſimi extiterunt, omniumque maxime juſtitiam, ac pietatem coluerunt, nonne eumdem procul dubio parem etiam cum illis gloriam conſecutum eſſe, credendum eſt? Hæc nos, Pontifex Optime, hæc ſpes illos in primis conſolatur, ad quos potiſſimus ex tuo obitu dolor venit, Affines tuos, at-

que

Digitized by Google

que Propinquos, qui virtutibus, rebuſque tuis geſtis, tantum ſe, familiaſque ſuas ſplendoris judicant accepiſse, ut æternitatem quamdam ipſimet aſsecuti eſse videantur. Non cenſent, lugendam ejus eſse mortem, cujus memoriam excipient omnes anni conſequentes. Intelligunt, pietate ac benevolentia, non luctu, aut ægritudine illum eſse proſequendum, qui ſancte, qui prudenter, qui temperate, qui etiam ſumma gratia, ſummis honoribus, ſumma cum dignitate vixerit. Quin illud etiam ſibi facile in animum inducunt, te, quo amore, qua in ſe pietate ſemper fuiſti, vehementer lætari, Pontifex Optime, quod cogitantes quam tibi præclarus illuxerit dies, cum ad illud animorum conſilium, cœtumque profectus es, atque in ea loca diſceſseris, quo immortalis, ac feliciſſima tibi vita vivenda eſt, omnem a ſe doloris impetum, quo ſubito oppreſſi ob tuum obitum fuerant, fortiſſime repulerint; converſique ad tranquillitatem, te imitari, tuiſque veſtigiis, quo jam erant in curſu, ſtudioſius inſiſtere contenderint. Pergite igitur, Viri nobiliſſimi, quo cœpiſtis, & quæ in vobis ſunt, præſtate: cætera, quæ Affini, Propinquove veſtro clariſſimo conceſsa ſunt, pro virtutibus vobis veſtris ab ipſo immortali Deo evenient.

AU-

AUCTORIS MONITUM

Quamplurima ego ex BENEDICTI XIV. Pont. Max. Litteris præſertim ad LACTANTIUM FELICEM SEGAM datis deſumpta monumenta afferre poſſem, quibus in hac exaranda Laudatione uſus ſum; id quod tute ipſe, Lector, dum illam verſares, facile intelligere potuiſti. Sed tibi eorum unum, & alterum dumtaxat oculis ſubjeciſſe contentus ero, quippe quæ & potiſſima ſint, neque vulgo cognita. Tu itaque Epiſtolam perlege, quam infra deſcripſi, eaque ad rem noſtram quantum pertineat, animadverte.

[1]

DILECTO FILIO LACTANTIO FELICI SEGÆ

Præpoſito S. Petri

Bononiam

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. = Fra le anguſtie, e gl' inceſſanti travagli, da' quali ſiamo oppreſſi, non ci poteva arrivar nuova di maggior noſtra conſolazione di quella, che abbiamo ricevuta da lei ſotto la data dei 17. del corrente, in cui ſi ſottopone al carico, che ſcrivemmo di volergli imporre in ordine al governo di coteſta noſtra Chieſa Arciveſcovile. Noi la ringraziamo con tutto il cuore. Noi rendiamo immenſe grazie al grande Iddio, che ha iſpirato noi ad eleggere la ſua Perſona, ed ha iſpirato lei ad accettare, mediante l' opera, come ci vien ſcritto, del buon Padre Gabrielli, ora ſuo, ed una volta noſtro Confeſſore, a cui ella non laſcierà di dare in nome noſtro l' Appoſtolica Benedizione. O in queſto ſpazio, o nell' altro le ſaranno inviati i Brevi neceſſarj. Due giornate nell' epoca della vita noſtra abbiamo avute fortu-

nate,

Digitized by Google

nate; una, che è quella della Feſta di Santa Caterina di Siena, in cui ſiamo ſtati fatti Cardinale, Arciveſcovo di Bologna, ed abbiamo preſo il poſſeſſo del Pontificato; l' altra la Vigilia di S. Giacomo Appoſtolo, in cui riceviamo la ſicurezza di voler ella aſſiſtere al governo di coteſta Chieſa; ed intanto abbracciandola con Paterno affetto le diamo l' Appoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 24 Julii 1743. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

En tibi, Lector, alterius Epiſtolæ fragmentum XII. Kal. Octob. Anno MDCCXLIV. ab eodem Pontifice Maximo ad Amathuntinam Antiſtitem datæ. Nonnulla enim de induſtria omiſimus, quæ quamvis alicujus momenti eſſent, nihil tamen luminis Orationi afferre videbantur.

[2]

PAſſando poi alla Chieſa di Rimini, non intendiamo di far contro la ſua volontà, particolarmente dopo il conſiglio tenuto col buon Padre Gabrielli. A noi deve baſtare l' aver penſato non meno a provveder bene quella Chieſa, che a dare un contraſſegno della noſtra riconoſcenza verſo il ſuo merito. Reſtando intanto col darle l' Appoſtolica Benedizione.

A Monſignor Veſcovo d' Amatonta
Bologna.

Digitized by Google

Digitized by Google